Apolline Favente!

Fabula IX. Libri I.
Metamorphoseon Ovidii,
quæ est
de
Transformatione
Daphnes
in
Laurum,
Heterosis Choriambica
ductu
Od. XIIX. Lib. I. Carm. Horatii
elaborata.

Penei fluvij filia amor primus Apollinis,
Quem non sors dedit ignara, sed ardens furor, improba
Amati et Queri mens. Etenim Delius insolens
Hunc, Pythone necato validâ cuspide, viderat
Flectentem manibus cornua nervo sinuantia
Adducto, referens: quid tibi, lascive puer, rei
Cum telis rigidis? ista humeris conveniunt magis
Nostris, vulnera qui certa valemus dare bestijs,
Ac hosti dare, qui pestifero tot loca corpore
Pressantem innumeris atq; scatentem calamis neci
Draconem dedimus: sufficiat nescio quos face
Irritare tua: nec tibi nostram asrere gloriam.
Cautus cui Veneris gnatus ait: Phoebe, notet tuus
Cuncta, at te meus arcus feriat: nam velut omnia
Concedunt Superis secula viventia: sic quoq;
Cedit gloria nostra tuæ. Sic dixit et aëra
Pennis præpetibus scissa vibrans impiger arduis
Parnassi bifidi culminibus constitit, et duo
Deprompsit nitidâ tela pharetrâ, varij quibus
Effectus, fugat hoc, illud amorem facit igneum.